

SANCTAE BLASIENSIS SCRIPTURAE SAECULA

In fine decimi septimi saeculi geopolitica nempe mediorientalis Europae forma substantialiter mutata est. Continentale Imperium a domo Austriaca ductum victor saecularis cum Turcarum Imperio contentionis factus est. Anno Domini millesimo sescentesimo nonagesimo nono Leopoldus I^{us} Imperator perfecit, ut Turcas ex quondam territoriis mediaevalis Hungariae regni, cuius Transsylvania una pars fuisset, expulerit. Ista provincia, cuius pars maior a Valachica gente inhabitabatur, coronae Austriacae territorium, sub *Principatus* (postea *Magni Principatus*) nomine, facta est, quamobrem Austriacus Imperator non solum hereditarius istius principatus magnus princeps creatus sed et creandus est. Principatus status a decimo sexto quoque saeculo hereditatus erat, postquam anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto, Hungariae regno collapsa, Transylvania, Calvinistis principibus regnum obtinentibus, suam libertatem conservare potuerat. Imperium autem Leopoldi Iⁱ propugnaculum Catholicae religionis in Europa stabat et imperator quoque gloriosus Catholicae Ecclesiae fautor erat. Novis rebus sic stantibus, cum Calvinistarum per terrorem institutum regimen principum finiisset, confessionale in Transsylvania aequilibrium mutatur. Talis terror in Valachos praecipue exercitatus erat, ut istos, qui Orientali Orthodoxae Ecclesiae addicti essent, ad Reformationem converterentur. Huiusmodi in calvinisationem Valachorum contentio tandem, post centum quinquaginta annos, infelicem finem habuit.

Unum praecipuorum novi regiminis onerum in non solum civilis sed etiam confessionalis conditionis Valachorum melioratione constabat. Civiliter primum, isti, ut 'maior pars in minori conditione', propter leges, iura et antiquas consuetudines quondam mediaevalis regni Hungariae in statu iniquitatis praecipitaverant. Confessionaliter demum, propter inaequalem cum Calvinismo dimicationem, suam Orthodoxam fidem in ruina habebant, postquam in speciem vulgaris exercitationis rudi superstitioni quam Ecclesiae Christianitatis propinquiore lapsa erat – ut David Prodan, egregius Valachus et Orthodoxus historiographus, asserebat –. Principatus Austriaco Imperio addictio opportunitatem Valachis obtulit ut suam traditionalem Orientalem Ecclesiam Graeci ritus unionis cum Romano-Catholica Ecclesia tramite ab huiusmodi ruina abstraherent: hic eventus sub 'Unionis cum Roma' nomine in historiographia mansit. Talis unio, quae in anno Domini millesimo sescentesimo nonagesimo septimo inita est, solum in anno Domini millesimo septingentesimo perfecta est, dato universi Orthodoxi cleri suffragio non solum in Transsylvania sed etiam in Occidentalibus territoriis a Valachis inhabitatis: in territorio Banatus usque ad Novi Sad, in territoriis quoque Crysiorum et Sathmariensi usque ad Ticiam necnon in territorio Maramorosieni usque ad aquilonis alpes. Huiusmodi confessionalis transitio perpetrata est super canonibus concilii oecumenici Florentini anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo nono habiti, in quo Orientalium Orthodoxorum in Ecclesia Romano-Catholica assimilatio postulata est. Theologicum fundamentum huiusmodi 'Unionis cum Roma' constabat in acceptatione ab Orthodoxis illorum quattuor dogmatis principiorum, quae ab anno Domini millesimo quinquagesimo quarto istas duas ecclesias Christianorum dividebant: 1) agnitio Romani pontificis ut 'visum caput' totius Christianitatis Ecclesiae; 2) Processio Spiritus Sancti a Patre Filioque; 3) sufficientia eucharistica azymi panis; 4) Purgatorii existentia. A ritus latere, neoconversorum Orientalium ecclesiastica vita immutata manebat. Ecclesiastica auctoritas necnon politicum forum Vindobonense, attente considerato Valachorum acto, statim de illorum ad 'Unionem cum Roma' necnon civilis et confessionalis status meliorationem perficiendas adiumento providerunt. Transilvanenses Valachi istas tolerantes condiciones anno Domini millesimo septingentesimo acceperunt, aequaliter ut Rutheni ex septentrionalibus alpibus in anterioribus decenniis fecerant. Anno Domini millesimo septingentesimo primo inlytum illud decretum Leopoldi I^{mi} Imperatoris 'Diploma secunda Leopoldina' nuncupatum iurium confessionalium aequalitatem atque civilium inter Valachos et alias Transsylvaniae 'nationes', quae in toto minorem partem quam Valachorum numerum formabant sed a mediaevalis regni Hungariae constitutione fauti erant. Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo primo, Innocentius XIII Papa unius 'unitorum' Valachorum Episcopatus constitutionem bullae *Rationi congruit* tramite confirmavit; talis Episcopatus primum Fogarasii, deinde, ab anno Domini millesimo septingentesimo tricesimo septimo Balasfalvae residebat.

Episcopatus uniti cum Roma, qui in Balasfalviensi civitate residebat, evolutio atque successus, omnes expectationes unionis patrum – Athanasio Anghel Episcopo principe – complevit, nam isti nova fata Transilvanensium Valachorum per istum historicum eventum sperabant. Urgentissimum desiderium erat in principio generalis Valachi cleri et populi ruditatis eradicatio, propter quam circa millesimum septingentesimum annum stupebant etiam alienigenae, qui illorum conditionem noscerent – e.g. Andreas Freyberger, Slezita anagnostes. Fecit etiam Carolus VI Imperator Valachicae Unitae Ecclesiae in Transsylvania maximi momenti collationem, quae possibilitatem creabat, ut Valachi iuvenes systematica eruditione gauderent in *De Propaganda Fide* Romano Collegio. Nam significabat in illis modernis temporibus Unio Romana 'primus Valachorum in Europam introitus', qui accessum ad optimam Occidentalem doctrinam possibilem reddiit: loquens est in istum respectum invasio librorum nec non idearum Occidentalium versus 'hoc Orientale recuperatum territorium', – ut definitum est a Chaunu, Gallico historiographo –. Brevissimo tempore etiam in territorio quod mortuum fuerat pro eruditione non solum privatae sed etiam institutionales bibliothecae oriuntur; quae notiones et doctrinae tam ecclesiastici quam politici fori excultae Europae - specialiter illius Catholicae partis – notae reddunt. Et fuerunt

Iohannes Giurgiu Patachi et Innocentius Micu-Klein episcopi primi bibliothecarum fundatores, qui quoque egregiae publicae personae necnon altae humanitatis culturae possessores videbantur.

Unius novae religionis consolidatio in beneficium totius populi duraturum opus constituere atque maximus voluntatis et acrimoniae conatus desiderabatur. Unitorum iuvenum scholastica educatio humanas vires praestabat Graeco-Catholicae Transilvanicae Ecclesiae, sicut publice appellabatur ista confessio cum Roma unita. Huiusmodi Valachica generatio, quae Occidentales doctrinas assimilaverat, propriam Valachicam culturam Occidentales ideas necnon experientias pro nationalibus necessitatibus applicando condidit. Hoc modo, post millesimum septingentesimum quinquagesimum annum, essentialiter novus gradus Valachicae culturae evolutionis aperuit Balasfalvae, ubi nationales scholae conditae atque numerosissimi libri tam religiosi quam laici prelo dati sunt. Petrus Paulus Aron Episcopus, qui nobilissimus inter Catholicos erat, factus est symbolum culturalis renovationis, quae providentialis nempe omnibus Valachis futura erat. Balasfalvensis civitas autem praecipua residentia erat Catholicae institutionis Orientalis ritus atque Graeco-Catholica Valachica Ecclesia una Orientalium ecclesiarum Catholici mundi constituere, sicut illa praenunciata papalis bulla *Rationi congruit* asserebat. Ista syntheseos compositio ab Orientali traditione cum Occidentali per Catholicam fidem novitate patrata privilegialem locum Balasfalvae attulit necnon unitae ecclesiae ad aedificandum opus modernae Valachicae nationis. Nationalis conscientia in Transsylvania claruit per cognitionem alienorum historicorum fontium Valachos ut linguae latinae gentem necnon ut populationis, quae post Dacia a Traiano imperatore annibus centesimo sexto-centesimo septimo post Christum natum victa Romana facta est, successores necnon propagatores confirmantium. Homines grandis eruditionis unitae ecclesiae in sinu creti, ut sunt Samuelis Micu, Georgius Şincai, Petrus Maior et alii magnam in nationalis culturae modernis doctrinis nutritione auctoritatem habuerunt etiam in aliis duabus terris quae in maiore parte earum a Valachis inhabitabantur, id est Moldavia atque Transalpina sive Valachia, tramite suorum religiosorum atque laicorum operum, quorum communis finis Valachicae culturae consensus erat. Romana origo, linguae atque traditionum unitas, communia commoda necnon communium historicorum eventorum memoria a Transsylvanicis unitis auctoribus novae vitae, creatis hoc modo Valachicae modernae nationis necnon istius unitatis conscientiae fundamentis, traditae sunt.

Cultura atque lingua Valachicae nationis cunabula constituunt. Anterioribus saeculis, in quibus Valachi, mediaevali more, in pluribus 'terris' divisi erant, aequaliter ut aliae Europae gentes, Valachica lingua, quae Latinam originem habebat, vinculare instrumentum illis tali modo praestabat, ut vera illorum patria sit, iuxta quorundam maximorum Europeorum sapientium – quos inter Poggio Bracciolini, Enea Silvio Piccolomini (Pius II^{us} Papa), Nicolaus de Modrusa, Iannus Pannonius, Antonius Bonfinius et alii – assertionem. Filologicarum scientiarum incrementum necnon linguae cultus maximi momenti industriae erant pro erudito circulo Balasfalvensi, qui 'Schola Transsylvania' nuncupatus est. Ecclesiastici libri, directe pro populo exarati, praecipuum aggregationis mechanema novae excultae Valachicae linguae praestabat. Quos inter, principalissimum locum Sancta Scriptura naturaliter detinuit. Iste fundamentalis liber Christianitatis Ecclesiae primum in Valachico sermone translatus Bucurestii apparuit, Transalpina terra, anno Domini millesimo sescentesimo octuagesimo octavo. Duae novae Sanctae Scripturae translationes patratae sunt Balasfalvae decimo octavo saeculo. Prima vero, iuxta *Vulgatam*, translatio facta est anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo a monachis ordinis Basiliani, cum Roma uniti, Petro Paulo Aron Episcopo duce. Secunda translatio iuxta *Septuagintam* facta est ab millesimo septingentesimo octuagesimo tertio anno usque ad annum Domini millesimum septingentesimum nonagesimum primum atque opus auctoriale est Samuelis Micu, eruditi philologi, theologi necnon historiographi. Istud opus prelo datum est Balasfalvae in anno Domini millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, quamobrem *Sancta Balasfalvensis Scriptura* necnon *Samuelis Micu Scriptura* a historiographis appellata est; *Vulgata* autem, quamquam mirabilis qualitatis translatio est, in forma manuscripti usque ad hodiernam aetatem mansit. *Septuaginta* traditionalis Scriptura Valachorum erat, quia Orientalis ritus gentem constituerebant: sicut ista etiam Graeco-Catholicorum naturaliter facta est. Illi qui inter *Septuagintam* et *Vulgatam* seligerunt, praecipue Iohannes Bob Episcopus, felicem selectionem fecerunt: nam *Sancta Balasfalvensis Scriptura* instanter ab omnibus Valachis, tam Graeco-Catholicis quam Orthodoxis – isti quoque maximam partem inhabitatorum in territorio quondam Daciae constituerebant –, assumpta est.

Sancta Scriptura Balasfalvae impressa, sicut atque illa in forma manuscripti remansa, coronationem velocis rythmi notionum et in theologia atque philologia peritiae accumulationum constituunt. Decimum octavum saeculum illam creavit, eodem tempore cum Graeco-Catholica Ecclesia. Verus autem istius beneficiarius decimum nonum saeculum fuit. Graeco-Catholica Scriptura omnium Valachorum liber facta est, id est eorum oecumenicus liber. Cuius meritis ab Orthodoxis agnitis, ista iterum edita est Sanktpetersburgi in anno Domini millesimo octingentesimo decimo nono, in Valachia autem in Civitate Buzău ab anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto usque ad annum Domini millesimum octingentesimum quinquagesimum sextum necnon Cibinii, in Transsylvania, ab anno millesimo octingentesimo quinquagesimo sexto usque ad annum Domini millesimum octingentesimum quinquagesimum octavum. Hoc modo, *Sancta Balasfalvensis Scriptura* sermonem sacrarum scripturarum dominavit usque ad ultimos annos decimi octavi et primos annos sequentis saeculi. Decimo nono saeculo nationalis Valachorum cultura creata est. Ut fundamnetalis lectio omnibus Valachis, Transsylvanensis Scriptura maximam contributionem evolutioni atque fixationi Valachicae excultae linguae praebuit, sicut ista professa atque usa est ab classicorum Valachicorum auctorum. Litterarum periti censores auctoritatem istius Scripturae apud Michaellem Eminescu, maximum Valachorum poetam atque scriptorem omnium temporum, demonstraverunt.